

Vergils *Aeneiden* bok 1, linjene 254-266:

Olli subridens hominum sator atque deorum
255 uultu, quo caelum tempestatesque serenat,
oscula libauit natae, dehinc talia fatur:
'parce metu, Cytherea, manent immota tuorum
fata tibi; cernes urbem et promissa Lauini
moenia, sublimemque feres ad sidera caeli
160 magnanimum Aenean; neque me sententia uertit.
Hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet,
longius, et uoluens fatorum arcana mouebo)
bellum ingens geret Italia populosque ferocis
contundet moresque uiris et moenia ponet,
165 tertia dum Latio regnantem uiderit aestas
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis'.

Ovids *Metamorfoser* bok 10, linjene 29-39:

'(...) per ego haec loca plena timoris,
per Chaos hoc ingens uastique silentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fata.
Omnia debemur uobis, paulumque morati
serius aut citius sedem properamus ad unam;
tendimus huc omnes, haec est domus ultima, uosque
humani generis longissima regna tenetis.
Haec quoque, cum iustos matura peregerit annos,
iuris erit uestri; pro munere poscimus usum.
Quod si fata negant ueniam pro coniuge, certum est
nolle redire mihi; leto gaudete duorum'.